Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36492
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

deuoratum se esse nesciret. aut certe ignoraret causam, propter quam fuissent
deuorantibus traditus. Denique usque ad senectutem, id est usque ad ultimam cap
tiuitatem in cepto errore permansit. Unde humiliabitur superbia
israel non multo post tempore sed nunc et in presenti. Hoc enim quod
dicit in facie eius. humiliabitur autem quia se extulerat. et non in deo. sed
in multitudine confidebat exercitus. Et quia superbis deus resistit. humi
libus autem dat gratiam. Pro superbia, id est gaon more suo LXX transtulerunt
et quia supradixerat. ephraim factus est subcinericius qui non reuer
satur et uidebatur ambiguum. nec satis sonare quod dixerat. nunc po
nit manifestius. non sunt reuersi ad dominum deum suum. et non quesierunt
eum in omnibus his. Quod si reuersi fuissent ad dominum. audissent utique per
hieremiam loquentem dominum. reuertimini ad me. et ego reuertar ad uos. Et
cum tanta fecerint. non quesierunt eum. que suo uitio perdiderunt.
Cum autem uideat ephraim. ut ad sensum alium transeamus docere populos.
et ad similitudinem sui trahere. ipse populis commiscetur. et similis
~~et similis~~ eorum efficitur. iuxta illud quod supradictum est. erit populus sicut
sic sacerdos. siue ephraim populis et gentibus commiscetur. ut omnes heretici
nihil differant ab errore gentilium. et qui quondam fuit princeps in
ecclesia. factus est subcinericius panis. ex omni parte in mundo cinere
et ignium ardore circumdatus. ut non reuerteretur ad dominum. sed in cepto
permaneret errore. Comederunt demones robur eius. Isti sunt enim
alieni et hostes omnium christianorum. et ipsi nesciunt aduersarios animi
consputans et deuoratores suos arbitrans esse conuiuas. Sed et cani ef
fusi sunt immo effluerunt in eo, id est multo errauit tempore et nihi
lominus ignorauit senectutem et uetustatem suam. de qua scriptum est
Quod ueteratur et senescit. prope exterminium est. Et si ad uirum
iustum et ad ecclesiasticum dicitur cani hominis sapientia eius. quare
non dicatur ad iniquum et ad hereticum cani hominis stulticia eius.
De hac senectute danihel dicebat ad presbiterum inueterate dierum
malorum. Unde et in libro pastoris. si cui tamen placet. illius recitare
lectionem herme. Primum uidetur ecclesia cano capite deinde adoles
centula. et sponsa crinibus ornata. Cumque humilietur superbia hereticorum
siue contumelia. quam cottidie faciunt ecclesiasticis uiris. non reuer
tuntur ad dominum. sed in omnibus his nequaquam requirunt eum. quia
calefacti sunt quasi clibanus et non quesierunt eum. Deuorauerunt
iudices eorum. et reges pariter conciderunt. nec est qui clamet ad
dominum que uniuersa perpessi sunt. ut dominum quererent quem querere no
luerunt.